



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Fœmina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Femina.

Femina non potest publicè prædicare, nisi ex Papæ licentia, *cap. nono, de pœnit. & remiss. 33. distinct. mulier.* in capitulo & claustris potest. *Cajet. vers. mulier Sylv. l. c.*

Nec uti habitu virili, etiam ob continentiam, vid. *Concil. Congreg. c. 13.* Interdum tamen, ob honestam delectationem potest uti *Nav. c. 23. n. 23, ex D. Thom.*

Nec esse testis in testamento solemniter extra terras Ecclesiæ, (ubi verò solemnitas non requiritur, ut tempore pestis, potest) nec in causa criminali nisi hæresis, aut læsæ majestatis, aut simoniarum, aut cum aliter veritas sciri non potest, aut cum proceditur via inquisitionis, vid. *Syl. testis nu. 1. ad pias causas admittitur, Cov. c. relatum 1. nu. 5. de testam. & in criminalibus jure civili, in contractibus, & aliis actibus. Cov. l. c.*

Nec pro debito incarcerari, nec cogi accusare, aut testificari, nisi in certis casibus, ut in causa criminali, vid. *Syl. femina, n. 3. Covar. l. c. 1. var. respo. n. 3.*

Fornicatio simplex.

1. Fornicatio simplex est concubitus soluti (id est liberi à conjugio à voto, ab ordine sacro, à religione, à cognatione) cum soluta, estque peccatum mortale, & consequenter nunquam licita, *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrim. quest. 4. punct. 14. num. 2. & 3.*

2. Licitum est Principibus permittere meretrices in aliquo loco civitatis, ut vitentur majora mala: excusanturque à mortali locantes domos meretricibus ad habitandum, non tamen ad meretricandum; vitandum tamen est proximi scandalum & damnum. Similiter excusantur famuli comitantes herum euntem ad meretricem, aut comitantes concubinam, aut deferentes literas, si ab hujusmodi comitatu desistere nequeant absque gravi damno. Idem dicendum de auriga indifferenter meretricem deferente, quamvis sciat ipsam malè suo corpore usuram. *ibid. num. 4. & seq.*

3. Concubinatus est frequens & consueta fornicatio cum eadem persona. Concubinæ quæ leguntur in sacris litteris, fuerunt veræ uxores, ideò concubinæ dictæ, quod sine publica solemnitate & ritu consueto ducebantur, permissum-